

principium fidei et constitutio ecclesiae semper eadem sint oportet. Ergo Scriptura nec hodie fons religionis Christianae unicus esse potest.

NB. Ipsa *religio antiqui testamenti* est antiquior, quam Scriptura; et aliquamdiu traditione propagata, sine Scriptura permansit. Aetate patriarcharum nulla erat Scriptura, sed tamen religio revelata aderat. In deserto religio Mosaica viguit, antequam Moyses primum librum sacrum edidit.

3. — *Propositio II. Traditio est verbum Dei et fons revelationis aptissimus atque incorruptus.*

1. Traditio originalis, idest doctrina ore apostolorum tradita, utpote a Christo accepta vel a Spiritu S. inspirata, fuit *verbum Dei revelatum* perinde ac doctrina conscripta. Traditio haec post apostolos in duobus fontibus permansit: in monumentis (traditione scripta) et in continua ecclesiae praedicatione, quae si non singula (ut e. g. decreta conciliorum vel pontificum), saltem universa atque consentientia ob incorruptibilitatem ecclesiae sunt *infallibilia*. Minime ergo ad hanc traditionem pertinent verba Christi (Matth. 15, 6. 9.) traditiones *humanas* reprobantis.

2. Traditio est *fons aptissimus*, utpote Scriptura uberior, clarior et magis accessibilis. a) *Uberior*, quia a Christo sola instituta totam doctrinam Christianam continet, ipsamque S. Scripturam scil. doctrinam biblicam complectitur. Etiam monumenta traditionis copia ac varietate Bibliis praestant. b) Traditio *clarior* est, tum quia uberior, tum quia institutio verbalis est, quae auditoribus accommodari, respondere, erroribus succurrere potest, perfectissimaque est via docendi. Praeterea traditio in forma dissertationum ordinatarum, interpretationum, orationum popularium est conscripta, et usu institutisque illustrata. c) Traditio est *magis accessibilis*, quia ubique praedicatur, ipsaque monumenta ejus, etsi suas habent difficultates, tamen aetate, patria ac lingua nobis sunt propinquiora.

3. Traditio *incorrupta* in ecclesia conservata est. Namque

a) Receptaculum traditionis non est memoria imbecilla singulorum fidelium, sed memoria collectiva et scriptis monumentis institutisque innixa societatis Christianae. Societas hujusmodi immortalis nunquam abrumpitur, sed membra ejus innumera generationes praeteritas futuris conjungunt, majorumque scientiam cum posteris communicant. Sicut corpus humanum idem manet, quamquam singulae ejus atomi renoverunt, ita conscientia societatis in perpetua membrorum fluctuatione eadem permanet. Et quemadmodum senex non obstante renovatione materiae cerebri infantiae suae reminiscitur, sic ecclesia per traditionem

exordii sui recordatur. Idem fere in conservatione linguarum fieri videmus. Accedit, quod Deus traditionem perinde custodit, atque Scripturam ipsam. Revera traditiones fontibus et monumentis recentius inventis confirmatae sunt.

b) Multi ideo traditionem corruptam esse praesumunt, quia eam *verbalem* existimant. Sed traditio nisi aetate apostolica revera verbalis non fuit. Nam praeter S. Scripturam, quae ipsa primum volumen scriptum traditionis est, ea paulo post apostolos a discipulis et supparibus apostolorum (patribus apostolicis), mox a horum discipulis (imo etiam a haereticis) maximam partem conscripta, et in usum ecclesiae inducta est. Quae forte deerant, eas traditiones collegerunt, litteris mandarunt, et ex recenti rerum memoria interpretati sunt scriptores saeculi II-i (Justinus M., Melito, Irenaeus, etc.), quorum opera, quae exstant, multa volumina efficiunt. Plurima autem saeculi secundi monumenta, nunc perdita, ad sequentia saecula pervenerunt, e quibus scriptores saeculi III. et IV-i traditionem apostolicam depropserunt, et posterioribus saeculis tradiderunt. Monumenta traditionis antiquiora a recentioribus citantur, et antiquiora rursum alia antiquissima supponunt. Ita monumenta haec annuli quasi sunt inter se connexi, qui ecclesiam praesentem catenae instar cum aetate apostolica conjungunt.

Ecclesia ergo doctrinam apostolicam vel sensum Scripturae ex traditione hauriens, non traditiones, quasi per ora fidelium ex aetate apostolorum in nos derivatas quaerit ac consultit, sed monumenta traditionis scripta, vel doctrinam in praedicatione ac theologia viventem, ex antiquis traditionis fontibus sine interruptione manantem.

§ 111.

Relatio traditionis et Scripturae.

1. — Traditio multiplicem utilitatem Scripturae afferit, specieiter eam sustentat et illustrat, quasi columen ejus est et interpres.

a) Traditio est *columen Scripturae*. Ipsa authentia seu origo apostolica librorum sacrorum testimonio praesertim traditionis probatur. Deinde inspiratio, saltem librorum Novi Test., sine traditione evidenter demonstrari non potest. Canon, seu ambitus S. Scripturae sola traditione nititur, quum Scriptura nullibi dicat, quinam libri suae sint partes. Hinc fit, ut rejecta traditione, auctoritas librorum sacrorum divina imo historica in dubium vocetur, et per consequentiam logicam rationalismus oriatur. At rursus traditio praesertim qua monumentum historicum Scriptura nititur.

b) Traditio est quasi *commentarius Scripturae*. Etenim tum eandem atque haec rem uberior et clarius proponit, tum ex professo ad explicandam Scripturam scripta est. Merito jam S. Irenaeus dicit: »Non potest ex Scripturis inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem«. (Adv. haer. III. 2. n. 1.)

Auctoritas traditionis exegetica, etiam ubi haec non est apostolica et dogmatica, plerumque magna est. Primi enim Christiani linguam Graecam, et multi eorum e. g. a judaismo conversi etiam Hebraicam bene sciverunt. Historia autem, geographia et mores antiqui iis certe notiores erant, quam doctissimis hodie viris. Praeterea scriptoribus primorum saeculorum, ut ex eorum citatis apparet, multi libri, monumenta et traditiones praesto erant, quae dehinc perierunt, et si extarent, multas res longe alias nobis ostenderent, quam breves illae et non semper fidedignae narrationes, quae ad nos pervenerunt.

2. — Traditio tamen Scripturam superfluam non reddit, imo eam (saltem Antiquum Testamentum) supponit, etquidem tum qua librum historicum, tum qua fontem fidei et morum.

a) Qua *liber historicus* Scriptura *Ant. Test.* historiam originis hominum et primae aetatis narrat, de qua admodum pauca fidedigna in traditione Judaeorum ac gentium permanerunt; deinde historiam redēptionis præparatae, quae alias cognosci non potest, quum traditio Judaeorum continua non sit, nec monumentorum extrabiblicorum serie firmata, nec sine Bibliis plena fide digna. Scriptura autem *Novi Test.* res a Christo et apostolis gestas narrat; ergo est monumentum fundationis et propagationis ecclesiae antiquissimum ac coaevum, a testibus oculatis vel eorum discipulis scriptum. Utique etiam traditio testimonia fundationis ecclesiae continet, sed pauca tantum, quae a Bibliis non dependeant, eaque rebus narratis multo recentiora. Antiquissimi Patres magis doctrinam scriptis suis tractant, quam historiam. Hinc S. Scriptura est prope solum fundamentum, quo historia religionis Christianae et ecclesiae nititur; est velut primus annulus, de quo catena traditionis historicae a tempore apostolorum non interrupta et series monumentorum continua pendet.

b) Magna quoque est utilitas ac necessitas Scripturae, praesertim *Ant. Test.*, ut *fontis dogmatum creationis, peccati originalis et redēptionis*. Haec enim libri *Novi Test.* uberior non expōnunt, sed supponunt. Traditione autem Israelitica, partim jam ante Christum depravata, monumenta extrabiblica fidedigna paucissima habet. Hinc ei certa fides haberi non potest, nisi ex parte illa,

quae a Christo et apostolis est confirmata. Itaque fons revelationis antiqui testamenti tantum non unicus est Scriptura A. T. Momentum autem librorum *Novi Test.* dogmaticum, etsi propter existentiam traditionis apostolicae relative minus, per se tamen valde magnum est. Quum enim ii nobis eosdem fidei praecones, a quibus primi Christiani traditionem acceperunt, quasi praesentes ac loquentes inducant, certam nobis fidem faciunt, doctrinam apostolorum a primis Christianis recte intellectam, et integre traditam ac conservatam esse. Ita Scriptura N. T. est documentum, velut obrussa traditionis. Praeterea traditiones dogmaticae ac morales ita Scripturae innituntur, ut sine ea vix possint intelligi.

Scriptura ergo, etsi partim ex occasione orta, tamen divino consilio est edita, ut duplex sit nobis fons fidei, unus alterius firmamentum ac testimonium. Vere ergo caelestis est Scriptura thesaurus, summa Spiritus S. liberalitate datus hominibus. Haec ergo, Scriptura et traditio, mutuo inter se dependent, quemadmodum cuiusvis organismi viventis et bene ordinati partes.

§ 112.

Norma fidei est propositio ecclesiae.

Propositio: Norma fidei, seu criterium, quo vera Christi doctrina cognoscitur, et a falsa discernitur, non est, nisi *propositio magisterii ecclesiae*. Etquidem hoc criterium veritatis non modo in indoctos, sed etiam in doctos valet, qui fidem e Scriptura et traditione haurire possunt.

Propositio autem ecclesiae duas habet formas: didacticam et judiciale, seu formam *doctrinae et sententiae*.

Doctrina ecclesiae est a) ordinaria seu jugis, cujus partes sunt: prædicatio, cultus ac praxis; et b) extraordinaria, quae fit symbolis et conciliorum pontificumque decretis. *Sententia ecclesiae* est judicium de rebus fidei et morum, cujus species sunt: decisiones quaestionum, approbatio vel condemnatio sententiarum et dijudicatio controversiarum.

Propositio probatur sequentibus.

1. Christus Dominus apostolis, præcipue Petro *potestatem ligandi et solvendi* dedit, item oves suas pascendi (Matth. 16, 19. 18, 18. Joan. 21, 15. sqq.), quod potestatem docendi, regendi et etiam controversias fidei judicandi significat. Deinde Christus

eadem cum potestate, quam ipse habuit, etiam apostolos misit: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (Joan. 20, 21.) Tum constat apostolos a Christo mandatum praedicandi, fideles autem praecipsum eos audiendi accepisse. Praeterea Christus ad hoc munus exsequendum apostolis suis perpetuam *sui et Spiritus Sancti praesentiam atque assistentiam* promisit. Matth. 28, 20. Joan. 14, 16. 26. etc. Insuper ad fidei unitatem conservandam Christus Dominus Petrum ejusque successores Romanos pontifices dono *infallibilitatis* ornavit. Luc. 22, 32. — Atqui potestas illa, missio et auxilium, ad bonum ecclesiae sempiternae promissa, etiam *ad successores apostolorum* pertinent. Revera apostoli successores sibi elegerunt, e. g. Paulus Timotheum et Titum, quibus potestatem suam ordinariam tradiderunt.

2. Idem testatur *traditio*.

Theophilus Antioch. scribit: »Deus mundo dedit sanctas ecclesias, in quibus doctrina veritatis asservatur, ad quas perfugiunt, qui salutem consequi cupiunt.« (Ad Autol. II. n. 14.). *S. Irenaeus* ait: »Eis qui in ecclesia sunt, presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab apostolis, qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum acceperunt. Hi enim et fidem nostram custodiunt.« (Adv. haer. IV. c. 26, 5.) Et alibi de ecclesia Romana dicit: »in qua semper conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio.« (Adv. haer. III. c. 3.) *Origenes*: »Servetur ecclesiastica praedicatio per successionis ordinem ab apostolis tradita et usque ad praesens in ecclesia permanens; illa sola credenda est veritas, quae in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione.« (De princ. praef. n. 2.) *S. Hieronymus* ad Damasum papam scribit: »Discernite obsecro, si placet, et non timebo tres hypostases dicere.« (Ep. 15. ad Damas. 4.) *S. Hilarius* dicit de Petro: »O beatus coeli janitor, cuius terrestre judicium praejudicata auctoritas sit in coelo.« (Comm. in Matth. c. 16. n. 7.) — Idem sentiunt et dicunt *S. Ignatius M.*, *S. Hegesippus*, *S. Hippolytus*, *S. Cyprianus*, *S. Cyrillus Alex.* et alii. Atqui Patres primorum saeculorum certe melius constitutionem ecclesiae a Christo factam noverant, quam protestantes saeculo XVI-o.

Rem confirmat *praxis* ecclesiae. Quum enim controversiae de doctrina ortae essent, historia teste fideles rem ad ecclesiam docentem, imprimis sedem Romanam deferebant, ejusque sententiae omnes acquiescebant. Roma locuta, causa finita est. Hinc merito ac jure ecclesia in Concil. Vaticano (Const. Dei filius, cap. 3.) propositionem suam fidei normam esse decrevit. (Vide supra, p. 322.)

3. Ecclesia est *heres* doctrinae Christi, *continuatrix* muneris apostolici et *praeco* fidei *veterior* quam Scriptura, aetate traditioni *aequalis*, hujusque quasi subjectum. Prima aetate doctrina ecclesiae solus fons, solaque fidei norma fuit; et quum esset ex praedicatione apostolorum immediate accepta, procul dubio maxima fuit auctoritatis. Posterior autem ecclesia doctrinam apostolorum e S. Scriptura et monumentis traditionis hausit atque haurit; imo ipsa praedicatio ecclesiae non est nisi traditionis continuatio.

4. Norma haec sola est *idonea*. Norma enim fidei nec liber nec monumenta scripta, quae ipsa interprete ac patrono indigent, esse possunt; sed tantum *doctrina ac sententia personae vivae* physicae vel moralis, quae doctrinam locis, temporibus, personis atque indigentiis accommodare, eam in casus praesentes applicare, causas cognoscere, controversias, errores et eventus judicare possit. Hinc ipsae Scriptura et traditio non sunt regulae fidei aptae, nisi in manu ecclesiae. Praeterea nulla alia norma ad fidem *immutatam et unam* conservandam valet. Hominibus enim inest studium novitatis et inconstantia mentis sententiarumque varietas, quae sine auctoritate ecclesiae religionem mox corrumperent ac dilacerarent, ut apud protestantes revera factum esse videmus.

5. Sine auctoritate ecclesiae ipsa *auctoritas Scripturae labeficeret*. Quaestiones enim ad S. Scripturam pertinentes e. g. quaestio de canone, sine auctoritate ecclesiae infallibiliter decerni non possunt. Ideo dicit S. Augustinus: »Ego evangelio non crederem, nisi me ecclesiae catholicae commoveret auctoritas.« (Cont. Ep. fund. c. 5.) Ecclesia Scripturam quasi promulgat, sicut vicarius legislatoris legem. Hinc teste experientia ruente auctoritate ecclesiae mox ipsa concidit Scripturae auctoritas.

Si auctoritatem ecclesiae S. Scriptura, auctoritatem autem Scripturae auctoritate ecclesiae demonstramus, nequaquam per circulum vitiosum argumentamur. Nam a) De auctoritate ecclesiae etiam sine Scriptura ex traditione constat. b) Non ducimus argumentum e S. Scriptura ut libro divino, sed ex testimonio ejus historico pro miraculis Christi ac fundatione ecclesiae dato, quod etiam per se et sine auctoritate ecclesiae certum est.

Adnotatio. Propositio ecclesiae, quae omnibus norma fidei est, plurimis hominibus etiam *fons est solus et unicus* (*fons fidei vulgaris*), scilicet iis, qui fontes objectivos et theologicos, Scripturam et traditionem (materialem) consulere nequeunt. Tales sunt plebeji, indocti, parvuli et quicunque aliis rebus occupati ac detenti. His omnibus patet doctrina

ecclesiae (traditio formalis), ubique gentium praedicata et omnium captui atque indigentiis accommodata.

Propositio tamen ecclesiae rons theologicus tertius, peculiaris et quasi sui juris non est. Ecclesia enim a Spiritu S. novam revelationem non accipit, sed doctrinam e S. Scriptura ac traditione depromit, et Spiritu S. assistente custodit atque infallibiliter proponit.

CAPUT SECUNDUM.

De authentica Scripturae interpretatione.

§ 113.

Authentica Scripturae interpres est ecclesia docens.

S. Scriptura, ut fons fidei et morum inspiratus, tum ob singularem suam dignitatem, tum ob summum quod habet momentum, ne homines in re salutis a vero abducantur, bene intelligenda est. At quum sit insufficiens et obscura, interprete eoque non privato, qui errare et cui contradici possit, sed authentico idest certissima scientia et auctoritate irrefragabili praedito indiget. Si ergo Christus religionem et ecclesiam condidit, eamque immutabilem ac sempiternam esse voluit: authenticum doctrinae sua scriptae interpretem constituerit necesse est.

Sed quaeritur, *quis vel quid sit authenticus ille interpres.*

Propositio. *Authentica atque infallibilis S. Scripturae interpres est ecclesia docens, et nemo aliud.* Quae propositio est consequens regulae fidei catholicae, et tum conditionibus authenticae interpretationis, ecclesiae propriis, tum perpetua ecclesiae fidei atque praxi probatur. Specialiter

1. Ecclesia verum Scripturae sensum *scit ex traditione*, etquidem certissime atque infallibiliter. Nam

a) Sensus S. Scripturae est pars doctrinae Christianae, quae tota et clara traditione continetur, ergo ex hac intelligitur. Deinde sensus cuiusvis dicti multo melius cognoscitur ex mente auctoris alias copiose et perspicue manifestata, quam ulla arte grammatica, logica et historica. Quum ergo traditio sit doctrina eorumdem apostolorum, qui Scripturas reliquerunt, uberior et clarior: non potest sensum Scripturae non completere (trad. dogmatica) et non illustrare (trad. exegética). Atqui ecclesia traditionem i. e. totam Christi doctrinam possidet, ab apostolis acceptam, integrum

conservatam et abhinc undeviginti saecula praedicatam. Ecclesia igitur, heres, custos et praeco traditionis, hanc ipsam et quem continet sensum Scripturae ignorare non potest.

b) Ecclesia in tota Christi doctrina custodienda ac praedicanda auxilio Spiritus S. et infallibilitatis dote instructa est. Ergo etiam pars illius doctrinae scil. sensus Scripturae a Spiritu S. in ecclesia custoditur et objectum est infallibilitatis.

2. Ecclesia *auctoritate et potestate* Scripturam interpretandi irrefragabili praedita est. Nam a) doctrina et sententia ecclesiae est norma verae Christi doctrinae infallibilis, ergo etiam norma interpretationis Scripturarum. b) Ecclesia est vicaria Spiritus S. auctoris Scripturae principalis, et successor humanorum ejus auctorum. Quum autem nec Spiritus S. nec prophetae et apostoli visibiliter in terra adsint, neque munere interpretis fungantur: potestas eorum Scripturam authentice interpretandi in vicaria et successore praesens adsit oportet. c) Christus Dominus authenticam interpretationem Scripturarum ecclesiae implicite demandavit, quum apostolis eorumque successoribus munus docendi commisit, iis totam suam doctrinam cum recta ejus intelligentia tradidit, atque ad eam conservandam et proponendam auxilium Spiritus Sancti, imo donum infallibilitatis promisit. Sensus enim Scripturae, ut patet, pars est doctrinae Christianae, et interpretatio ejus ad praedicationem evangelii pertinet.

3. *Nemo aliud* praeter ecclesiam docentem authenticus Scripturae interpres in terris esse potest. Etenim dotes illas authenticis interpretis sola ecclesia catholica habet, et nihil aliud nemoque huic muneri idoneus reperitur. Scriptura ipsa, privata Spiritus S. revelatio, sola ratio, quas protestantes assignant, authenticae Scripturae interpres non sunt, ut infra demonstrabitur. Quibus nunc addimus, nec ipsam traditionem materiale per se, quum sit doctrina abstracta et monumenta ejus plerisque non sint obvia, interpretem Scripturae esse posse. (Traditio tamen materialis, puta consensus Patrum, fons est et altera norma interpretationis.) Si igitur ecclesia authentica S. Scripturae interpres non esset, tunc ejusmodi interpres omnino deesset, et Scriptura propter suam obscuritatem inutilis, imo male intellecta perniciosa esset. Et si ecclesia in explananda Scriptura errare posset, quum homines privati certe magis adhuc errare possint: prorsus impossibile esset sensum Scripturae verum certo cognoscere. Sed tunc ad quid Deus Scripturam dedisset?